

PARS SECVNDA.
IN QVA DE DIFFICILI
librorum intellectu agitur.

Absoluta priori operis parte, quam de impedimentis artificem retardantibus inscripsi, ad secundam deuenio, quam difficultatis paulo plus habere cui libet notum est. Si enim artificem quippiã remoretur, id forte perpetuum non est, aut aliqua ratione & modo cõpensari potest. At hic nihil simile; vna quæpiam porta aut ianua pateat necesse est, si quis in domum vndique muratam & clausam intrare cupiat, quæ nisi patuerit, frustra sibi ad interiora cõclauia aditum aut progressum pollicetur. Ita omnis luditur opera chemistis, qui nisi per philosophorum scripta bene examinata & intellecta ex hac arte fructum aliquem percipere sperant, nisi tam felici sydere nati sint, vt per vocẽ viuẽtis, aut per reuelationem diuinam eius scientiam adipiscantur. Qui aliter lapidem tentat, & casu se inuenturum cõfidit, eum insanire, & in Anticyram deportandum censeo. Quam autem arduum sit & operosum libros philosophorum de hac arte conscriptos intelligere, quis aptius declaret, quam ipsi-
met

*Alchimiam
non nisi per
libros addi-
sci aut vo-
cem docen-
tis.*

*Libri intel-
lectu diffi-
les.*